



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

96. An Episcopi possint cognoscere de crimine sollicitationis? Et an hoc etiam separatim ab Inquisitoribus, vbi adest Inquisitio Hispaniae? Et quid est dicendum in aliis Regnis, & Inquisitionibus? Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

licitationem remaneat inhabilis ad Officia Religionis?

Et an supradictus non possit rehabilitari nisi per Pontificem, vel Illustrissimos Inquisitores Sacra Congregationis? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 48.

Sup. hoc inf. in tr. 10. Ref. 53. §. Sed an. & inferius in tr. 12. ex lata doctr. Ref. 7. signat in §. Difficultas. in fin. & in §. Vnde etiam in fin.

§. 1. **H**anc questionem pertractarunt duo Lusitani viri doctissimi, Rodericus Acugna, & Anton. Soula, hic in opusculo de Confess. sollicit. tract. 2. cap. 16. n. 6. Ille in tractatuum Confess. sollicit. q. 2. 4. n. 2. 2. & ibi additionator ejus Freitas num. 70. & asserunt Confessarium propter sollicitationem, de qua fuit convictus, vel quam est confessus, ipso jure inhabilis ad gradus, & dignitates Ecclesiasticas non manere, quia nullus est textus, nec glossa, nec Doctor, qui per abjuracionem de levi inhabilitatem ad dignitates, & officia inducat; & hoc etiam docuerat Henriquez, lib. 1. 3. cap. 56. §. 1. in glossa lit. K, & Garfias de benef. tom. 2. par. 11. cap. 10. n. 87. cum aliis penes ipsos.

2. Sed hodie contrarium dicendum est, stante decreto Urbani VIII. edito anno 1626. in quo Regulares puniti per S. Officium (penitentibus salutaribus exceptis) eo ipso fiunt inhabiles ad gradus & officia Religionis, nec possunt rehabilitari, nisi per Sanctissimum, vel per illustrissimos Inquisitores sacra Congregationis, ut observat Aloysius Batiola in aphor. lit. K. ver. Regulares. Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 19. n. 128. Peyrinus in privi. Minim. tom. 2. constit. 9. Pauli V. §. 2. num. 29. & Tamburinus de jure Abbat. tom. 1. disp. 6. q. 21. n. 17. qui per extensum verba supradicti decreti adducunt.

RESOL. XCIV.

An Ecclesiastici, qui interfunt sententia contra Confessarios sollicitantes, teneantur sub peccato mortali non manifestare delinquentem? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 44.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Soula de Confess. sollicit. tract. 2. cap. 16. n. 8. ubi sic ait: Illud notandum existimo, non esse vocandos tot numero, ut crimine secreto servari non possit; dixi non debere tot personas numero interesse ut crimen secreto servari non possit, quia, ut existimo, omnes, qui interfunt hujusmodi sententis & abjuracionibus, tenentur sub peccato mortali secretum servare, personamque delinquentem, aut crimen aliis non manifestare. Ratio est, quia infamia talis criminis Tribunalis Sancti Officii Inquisitionis limites non excedit, ut patet ex eo quod sententia illa propter bonum commune occulte profertur, nec iudices fidei infamare intendunt eos, quos sic puniunt, sed quando crimen aliquos limites non excedit, non potest sine peccato mortali manifestari; ergo quotquot interfunt, secretum servare tenentur. Ita Soula.

2. Sed, ut verum fatear, hæc sententia nimis rigida mihi videtur, & Scraphinus Freitas in addit. ad tract. de Confess. sollicit. quasi. 24. num. 49. propter scandalum putavit à DD. Inquisitoribus in tali casu penam excommunicationis & juramentum adhibendum esse, ne intervenientes hoc crimen propalarent aliis. Ergo dum non adhibetur, non adest obligatio peccati mortalis, maxime si tales Ecclesiastici crimen manifestarent inter alios Ecclesiasticos & Regulares: nam ita nullum scandalum oriretur, imò cum dictis viris propalatio effectum bonum faceret, incuteret enim eis timorem: secus autem esset cum secularibus, & de propalatione cum secularibus, loquitur Freitas ubi supra.

RESOL. XCV.

An Episcopi possint cognoscere de hoc crimine, ita ut aliqui penes ipsos possint Confessarios sollicitantes denunciare? Ex p. 2. tr. 4. Ref. 29.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam omnino amplectens ante Bullam Greg. XV. nō poterant cognoscere de crimine Confessariorum sollicitantium mulieres in confessione ex rationibus allatis per DD. ubi infra, sed pertinebat ad Inquisitores: hodie tamē, post dictā Bullam, Episcopi etiam possunt cognoscere de hoc crimine. Et hoc clare apparet ex verbis Pontificis in ipsa Bulla manifestē hoc declarantis. Et hanc sententiam docet novissimē Sanctarellus tract. de hæresi, cap. 44. n. 11. & 13. Acugna de Confess. sollicit. q. 2. per tot. Peyrinus super privi. Minim. tom. 2. constit. 4. Greg. XV. §. 6. n. 10. & Bonacina in var. tract. disp. 6. punct. 3. n. 23. & alij.

RESOL. XCVI.

An Episcopi possint cognoscere de crimine sollicitationis? Et an hoc etiam separatim ab Inquisitoribus, ubi adest Inquisitio Hispanica?

Et quid est dicendum in aliis Regnis, & Inquisitionibus?

Et in Regnis, ubi non est Inquisitio Hispanica, si Confessarius sollicitans, & femina sollicitata eodem tempore ab Episcopo, & Inquisitore citentur, an certus Inquisitor comparere debeant, non autem coram Episcopo?

Et quid, si Confessarius sollicitans sit Regularis exemptus?

Et docetur, quod Episcopi possunt separatim ab Inquisitoribus procedere in causis fidei, contra suspectos, imò contra Hæreticos, ideo jurisdictionem Inquisitionis non prajudicare jurisdictioni Episcoporum, cum censetur concessa cumulativè, non autem privativè. Ex p. 4. tr. 5. Ref. 52.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docui in p. 1. tr. 4. de eadem denunciar. * resol. 29. Sed difficultas est an separatim ab Inquisitoribus possint hoc crimen cognoscere Episcopi in Regnis, ubi adest Inquisitio Hispanica? & videtur etiam affirmativè respondendum ex verbis Bullæ Greg. XV. ibi, & præterea omnes Inquisitores, & locorum Ordinarii super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, &c. Vnde in his verbis æque facultatem inquirendi contra Confessarios sollicitantes concessam esse Inquisitoribus ac Episcopis, docet Castus Palaus in opere mor. tom. 1. tr. 4. disp. 9. punct. 1. n. 9. & punct. 10. n. 4. ergo, &c.

2. Verum de hoc non dubito, sed difficultas est, ut dixi, an stantibus dictis verbis Episcopi, ubi adest Inquisitio Hispanica, possint separatim ab Inquisitoribus contra Confessarios sollicitantes inquirere ex virtute dictæ constitutionis; & certè qui favent parti Episcoporum, affirmativè respondent, cum supradicta verba citatæ constitutionis loquantur, ut patet ex contextu literæ absolute de Episcopis omnium Regnorum, ut possint simul, vel separatim ac Inquisitoribus de dicto crimine cognoscere: ergo, &c.

3. Probatum secundò, quia Episcopi possunt separatim ab Inquisitoribus procedere in causis fidei contra suspectos, imò & contra hæreticos, ut patet ex cap. 12. in tra. suspectos, imò & contra hæreticos, ut patet ex cap. 12. per hoc, de hæret. in 6. ideo jurisdictionem Inquisitionis non prajudicare jurisdictioni Episcoporum, cum

Ex Edicto DD. Inquisit. & c. Ref. XCVII. & c. 417

conferatur concessa cumulative, non autem privative, docet Sylvester *ver. hæreticus*, §. 2. *num. 10.* Rojas *singul.* 28. *num. 2.* Gundisalvus de *hæret. quest. 7. num. 9.* Simanca de *Carbol. instit. tit. 25. num. 4.* Glossa & Panormitanus in *cap. ad abolendam*, de *hæret. Sigismundus Scaccia de iudiciis tom. 1. lib. 1. cap. 67. num. 9.* Carera de *hæret. num. 67.* Decianus *tom. 2. lib. 5. cap. 21. num. 10.* & alij, ergo sequitur necessarium, quod Episcopi possint separatim ab Inquisitoribus contra Confessarios sollicitantes, tanquam suspectos de fide procedere, quia, ut dictum est, Episcopi de iure communi procedunt contra hæreticos, vel suspectos, docet Simanca *tit. 6. num. 3.* & habetur in *cap. presidentes*, *cap. statum*, *cap. ut Inquisitionis*, de *hæret. in 6. cap. ad abolendam*, *cap. excommunicamus*, de *hæret. Clem. 1. eodem titulo*, & *Extrav. 1. eodem tit.* Unde dati sunt Episcopis Inquisitores tanquam adjuvatores.

4. Sed his non obstantibus, contrariam sententiam tenendam esse puto; pro cuius confirmatione suppono tanquam certum in regnis Hispaniarum, in quibus Hispanica Inquisitio adest ex consuetudine, & privilegio Pontificio, non posse Episcopos separatim ab Inquisitoribus causas de rebus fidei cognoscere, & denunciations sibi factas tenere ad ipsos Inquisitores remittere, neque reum posse incarcerare, nisi timeatur de fuga, sed certiorare Inquisitores, ut illum capiant & ita de dicta consuetudine, & privilegio testatur Sanctarellus *tract. de hæresi*, Romæ impressus, *cap. 40. dub. 2. num. 15.* Molina de *just. tom. 5. tract. 5. disp. 28. num. 12. & 13.* Acugna de *Confess. sollicit. quasi. 2. num. 1.* Ioann. Valerius in *differentiis utriusque fori*, Pegna in *direct. par. 3. quasi. 52. comment. 101.* & novissime Barbosa in *collectan. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 17. num. 3.* & alij.

5. Hoc igitur supposito sic argumentor in favorem DD. Inquisitorum Constitutio Gregorij XV. ut patet ex contextu literæ, præbet authoritatem Episcopis, ut possint separatim in nostro casu inquirere, prout in causis fidei iuxta sacrorum Canonum formam, & c. Sed in omnibus causis fidei ex privilegio & consuetudine Inquisitionis Hispanicæ, ut *supra* probatum est, Episcopi non possunt separatim sine Inquisitoribus inquirere; ergo neque posse separatim in casu sollicitationis sine Inquisitoribus inquirere dicendum erit: quia in dicta constitutione, ut patet, non revocantur consuetudines & privilegia Sedis Apostolicæ in contrarium, si alibi adessent, ut adfuit in Inquisitione Hispanica, & ideo sicut Fagundez in 2. editione de *precept. Eccles. pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 97.* & Antonius Soula in *annotat. ad Bullam Gregorij XV. num. 21.* asserunt, quod per dictam Bullam non revocatur privilegium concessum Generali Inquisitori Lusitanicæ advocandi ad se omnem causam hæresis, etiam si coram Ordinariis tractentur: unde non obstante Bulla Gregor. XV. docent hodie posse Inquisitores Generales Lusitanicæ ad se advocare omnes processus & integras causas Confessariorum sollicitantium inceptas coram Episcopis. Sic etiam dicendum est, per dictam Bullam non revocari privilegium concessum Inquisitioni Hispanicæ, ut Episcopi non possint separatim ab Inquisitoribus causas fidei, ut est ista, de qua loquimur, pertractare.

6. Secus autem dicendum est de aliis Regnis & inquisitionibus ubi talis consuetudo & privilegium Papæ non adest, nam ibi ex hac constitutione Pontificia posse Episcopos contra Confessarios sollicitantes separatim ab Inquisitoribus inquirere, concedo.

7. Ex quibus patet responsio ad argumentum primum superius adductum; dico enim intelligendum esse de omnibus Regnis, in quibus Inquisitores non habent privilegium, ut Episcopi non possint separatim ab illis procedere. Ad secundum verò respondeo

illam doctrinam esse veram, loquendo in terminis iuris communis, secus autem ex consuetudine & privilegio Apostolico, ut adest in Inquisitione Hispanica, ex rationibus quas optime observat Ludovicus Molina de *just. tract. 5. disp. 28. n. 13.* ex quibus apparet, quam utiliter & rationabiliter prædicta consuetudo fuerit introducta, & privilegium concessa.

8. Notandum est tamen hic obiter quod etiam in Regnis ubi non adest Inquisitio Hispanica, si Confessarios sollicitans & femina sollicitata eodem tempore ab Episcopo & Inquisitore citentur, coram Inquisitore comparere debet, non autem coram Episcopo. Et ita contra Rojas *singul. 44. num. 3. & seq.* docet Soula *opusc. de Confess. sollicit. tract. 2. cap. 2. n. 7.* & alij penes ipsum, quia iurisdicatio Inquisitorum cum sit delegata à Summo Pontifice superior est, & maior iurisdictione ordinaria; si autem Confessarius esset Regularis exemptus, posset in tali casu coram Episcopo comparere, quia Episcopus contra illum procedit ex iurisdictione delegata. Sed in Regnis nostris Hispaniarum etiam hoc ultimum non procedit, quia, ut dictum est, ex consuetudine, & privilegio causæ fidei ab Inquisitoribus tantum tractantur, cum quibus assistunt Episcopi per procuratores.

RESOL. XCVII.

An Episcopi, ubi non adest Inquisitio Hispanica, possint separatim ab Inquisitoribus proferre sententiam contra Confessarios sollicitantes, & e contra, etiam si sola abjuratio eis adiungatur?

Sed quid dicendum est de sententia absolutoria, an possit dari ab Episcopo sine Inquisitoribus? Ex p. 4. tract. 5. Ref. 53.

§. 1. A dvertit Soula post *opusc. de Confess. sollicit.* in *Sup. hoc inf. annot. ad Bullam Greg. XV. num. 20.* quod licet ex dicta constitutione Inquisitores & Episcopi possint procedere, non tamen per illam conceditur, ut sententiam separatim proferant, etiam si sola abjuratio eis iungatur; sed quoad hoc iura, & constitutiones Pontificiæ servandæ sunt. Nec etiam per dictam Bullam tollitur communicatio processuum secundum ius Canonicum. Ita Soula. Igitur dicendum est, quod nec soli Episcopi, nec soli Inquisitores possunt sententiam condemnatoriam proferre adversus Confessarios sollicitantes, ut patet, ex *cap. per hoc*, de *hæret. in 6.* & ita tenet Pegna in *direct. par. 3. comment. 97.* Lucerna Inquisitor. *ver. absolvere, num. 2.* Antonius Soula *opusc. de Confess. sollicit. tract. 2. cap. 1. n. 15.* & Fagundez de *precept. Eccles. in 2. editione pr. 2. lib. 4. cap. 3. n. 96.* Azorius *par. 1. lib. 8. cap. 18. quasi. 16.* Patams de *origine Inquisitionis lib. 3. quasi. 4. n. 2.* Molina de *just. tract. 5. disp. 28. n. 16.* & alij penes ipsos. Ratio est, quia per abjuratorem abjurans pronuntiatur hæreticus, vel de hæresi suspectus: ergo per hoc verè & propriè condemnatur, si tamen sententiam abjuratorem Episcopi absque Inquisitoribus contra Confessarios sollicitantes ferant, allerunt citati Doctores factum tenere, & ideo, ait Pegna, hæc esse de genere eorum, quæ licet fieri prohibeantur, facta tamen tenent & licet Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 13. num. 18.* contrarium doceat, ex *Clement. 1. de hæret.* ubi postquam Pontifex dixerat non posse Inquisitorem absque Ordinario, vel e contra, ad sententiam contra reos procedere, concludit, non valebit, & si secus præsumptum fuerit, irritum sit & inane.

2. Sed quid dicendum de sententia absolutoria, an possit dari ab Episcopis sine Inquisitoribus? Affirmative responderet Fagundez loco citato, *num. 93.* & Soula *num. 12.* Molina *num. 15.* & alij penes ipsos; quia in jure